CATHOLICA ET ORTHODOXA

RESPONSIO, AD PRÆCIPVA CAPITA Epiſtolæ Latinæ D. Jacobi Niemoieuski: quam ille libello ſuo Polonico de Eccleſia Chriſti Catholica, ad Sereniſſ. & Potentiſſ. Stephanum primum, Regem Poloniæ præfixit.

TRACTANTVR IN HAC RESPONSIONE generales & præcipuæ quæſtiones, de Eccleſia Chriſti, eiuſq́; ſummo in terris Præſide: breuiterq́; & dilucidè explicantur.

AVCTORE

ALPHONSO PISANO, SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

HAEC RESPONSIO ANTE BIENNIVM FERE conſcripta, nunc primum in lucem prodit, opera Reuerendi Domini Ioannis Mloduevij, S. Theologiæ Doctoris, Eccleſiæ Cathedralis Poſnanienſis Canonici.

POSNANIAE.
Excudebat JOANNES VVolrab.
M. D. LXXXV.

Bibl. Sec.
Collegij Rom. Catal. inscrip.
Soc. Iesu
B
E 3 896

Illuſtriſsimo ac Reueren-
DISSIMO
D. D. ANDREÆ DE
SOMLIO BATHORIO S.R.E. CARDI-

nali ampliſſimo: Eccleſiæ cathedralis Varmienſis Coadiutori, Præpoſito Miechouienſi, ac Stephani I. Sereniſſimi Poloniæ Regis nepoti, Domino ac Mæcenati ſuo colendiſſimo, Ioannes Mloduevius SS. Theol. Doctor, Canonicus Poſnan. perpetuam felicitatem.

VT primùm in Poloniam reuerſus, in hac muneris mihi delati functione conſedi, diu multũq; cogitaui, Illuſtriſſime Princeps, qua ratione & quam primùm teſtarer me gratum ac memorem eſſe præſtãtiſſimæ humanitatis & ſingularis planè beneuolentiæ in me tuæ; quam tu & in Vrbe ſumma cum laude commoratus, & ex Italia in Poloniam rediens, mihi exhibuiſti. Neq; enim fas, imò grande piaculum eſſe duxi: aut tanti beneficij memoriam deponere, aut non etiam illius magnitudinem omnibus hominibus teſtatam facere. præſertim cùm id eiuſmodi ſit, ut à principe ad omnia ſumma nato, & nuper in S.R.E. Cardinalium ampliſſimum ordinem cooptato, in ſacerdotem priuatum, atq; eum, qui nullo id officiorum genere promeruerat, profectum fuerit. Etenim tua ſingulari humanitate & munificentia (id enim ingenuè fateor) factum eſt, Card. Ampliſſime, quòd ego utriſq; tam Philoſophiæ, quàm Theologiæ ſtudiorum ſpacijs, in Vrbe religionis & eruditionis magiſtra, emenſis, primùm quidem ex Italia pedem mouerim: deinde uerò iter hoc tam feliciter, & magna cum animi mei uoluptate, paruoq; aut ferè nullo rerum mearum diſpendio tranſegerim: ad extremum tandem patrio ſolo (quod mihi ſalutare Rei uero publicæ Chriſtianæ utile eſſe cupio) ſanus & incolumis reſtitutus fuerim. Itaq; aliquot abhinc diebus in ea cogitatione poſito, & omnem occaſionem qua grati animi ſignificationem Illuſtriſſimæ Amplitudini tuæ declararem, expectanti, ecce incidit in manus meas, R. P. Alphonſi Piſani Theologi Societatis Ieſu, Catholica & orthodoxa ad præcipua capita Epiſtolæ latinæ D. Iacobi Niemoieuij, quam ille libello, de Eccleſia Chriſti Catholica, Polonicò, ad Sereniſſimum Poloniæ Regem præfixerat, reſponſio, ſcripta ante biennium ferè quam ego cùm breuem ac dilucidam, & præcipuas quæ de Eccleſia Chriſti & ſummo in terris præſide tractantur, quæſtiones in ſe complectentem animaduertiſſem, & iam ob temporis moram longiorem à Patribus Societatis Ieſu

quaſi derelictam cernerem: minimè diutius in eo ſquallore detinendam, aut ſupprimendam eſſe arbitratus ſum. Quin potius eam è ueſtigio, publicæ utilitatis ergò prælo mādari, ac tibi Mæcenas Clariſſime, dicare offerreq́; in perpetuum grati animi monimentum, curaui. Quod ſanè iure optimo à me factum eſſe facile omnes intelligent: qui modò ſecum ipſi reputabunt diligentiùs, ueram & ſanam de Eccleſia Catholica, eiuſq́; ſummo Paſtore, et Chriſti in terris Vicario doctrinam non alteri melius congruentiùſue, quàm uni ex præcipuis eiuſdem Eccleſiæ proceribus dicari, conſecrariq́; potuiſſe. Ex quibus cum tu ſis unus, Andrea Bathori, qui hunc ſublimem dignitatis gradum in ordine Eccleſiaſtico obtinuiſti, cùm in ampliſſimū purpuratorum Patrum cœtum, à S. D. N. Gregorio XIII. Pontif. Max. ob tuas inſignes, cùm animi, tum corporis dotes cooptatus es, magno omnium bonorum applauſu, & communi totius pene urbis (cuius rei ego ſum teſtis locupletiſſimus) gratulatione: quiq́; magno flagrantiq́; iuuandæ ac promouendæ religionis Catholicæ teneris ſtudio: quis non meritò eam ueræ Eccleſiæ defenſionem, & ad D. Iacobi Niemoieuij epiſtolam ad Sereniſſimum Regem Poloniæ, Amplitudinis tuæ patruum inſcriptam reſponſionem, me ſub tuo clariſſimo nomine in lucem emittère dixerit? Accipe igitur hilari fronte & libenti animo, Illuſtriſſime Princeps, id qualecunq́; eſt animi mei in Illuſtriſſimam D. T. teſtimonium: exiguum illud quidem, ſi libellum & exiguum, & ab alio conſcriptum intuearer: at ſanè permagnum, ſi mentem gratam & tui obſeruantem ex qua hæc profecta ſunt, penitius introſpiciat. Quod ſi tibi, ut ſpero, non ingratum accidiſſe intellexero, uotis ac deſiderijs meis abundè ſatisfactum eſſe exiſtimabo. Vale Eccleſiæ Catholicæ decus & ornamentum ſingulare: ac nobis & Chriſtianæ Reipub. uiue quam diutiſſimè & quam feliciſſimè. Datum Poſnaniæ tertio Nonas Ianuar: Anno Chriſti

M. D. LXXXV.

Sereniſsimo

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO REGI POLONIÆ STEPHANO

huius nominis primo: Magno Duci Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Mazouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ: Principi Tranſiluaniæ, &c.

Alphonsvs Piſanus
Societatis Jesv
Theologus,

Gratiam Chriſti, & tranquillam in vna Dei Eccleſia, ſubiectarum Prouinciarum gubernationem.

Mvlta svnt sereniſsime Rex, & planè inſignia elogia, multi illuſtres tituli, multa præclara epitheta, quibus verbum Dei, in ſacris literis expreſſum, Eccleſiam Chriſti Jesv Catholicam exornat, nobiſq; commendat: dum eam, modò columbam vnam atq; perfectam, modò amicam atq; dile- Eccleſiæ Chriſti elogia in ſacris literis. Cant. 6. Cant. 2. 1. Timoth. 3.

2. *etiam, iam domum Dei viui, columnam & fir-*
Matth. 16. *mamentum veritatis, aduerſus quam portæ in-*
Epheſ. 5.
Matth. 13. *feri præualere non poſſint, in qua non ſit macu-*
1. Cor. 12. *la, neq; ruga, iam ouile Chriſti, iam regnum cœ-*
lorum, deniq; & ſponſam & Corpus Chriſti
appellat: ei deniq; ita adhærendum, et ita obtem-
perandum præcipit, vt qui eã non audierit, qua-
Matth. 18. *ſi ethnicus & publicanus cenſeatur. Inter alia*
tamen eiuſdem Eccleſiæ præconia, non minus
admiranda, quàm perſpicua omnino ſunt illa,
Eſa. 60. *quæ de ipſa celebrãtur in Eſaia Propheta: apud*
quem hæc ſpiritu Diuino, de futura Chriſti Ec-
cleſiæ ex omnibus gentibus collectione & conſti-
Eſaiæ vaticinia de Eccleſia Chriſti propagatione. *tutione predicantur. Surge illuminare Hieruſa-*
lem, quia venit lumen tuum, & gloria Domi-
ni ſuper te orta eſt, quia ecce tenebræ operient
terram, & caligo populos, ſuper te autem orie-
tur Dominus, & gloria eius in te videbitur.
Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges
in ſplendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tu-
os, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerũt
tibi, filij tuæ de longè venient, & filiæ tuæ, de la-
tere ſurgent. Tunc videbis, & afflues, & mi-
rabitur, & dilatabitur cor tuum, quando con-

uerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium, venerit tibi. Et eodem cap: Qui ſunt hi, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Me enim inſulæ expectant, & naues maris in principio. Vt adducam filios tuos de longè, argentum eorum, & aurum eorũ cum eis, nomini Domini DEI *tui, & Sancto Iſrael, quia glorificauit te. Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorũ miniſtrabunt tibi. Et paucis interiectis. Et aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo Gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim & regnũ quod non ſeruiet tibi peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur. Hæc apud hunc Prophetam & alia plura in eandem ſententiam non minus iucunda fidelibus, gloriam* DEI *in vera Chriſti Eccleſia contemplantibus, quàm terribilia Eccleſiæ aduerſarijs leguntur. Maximè verò dum audiunt, rebuſq; ipſis ante oculos poſitis comprobari cernunt: gentes perituras & regna quæ Dei Eccleſiæ non ſeruierint: vt videmus perijſſe Syrorum, Aſiaticorum, Græcorum, Ægyptiorum & aliorum plurium gloriam: poſtquàm ab Ec-* Regnorum firmitas vnde.

 cleſia

cleſia Catholica diſceſſerunt. vt interim aliarũ gentium vel hæreſi, vel ſchiſmate contaminatarum regna vehementer obſcurata, ſilentio prætereamus. Libet autem paucis annectere quæ

D. Hieronymus.

præclarum Eccleſiæ Chriſti lumen D. Hierony: in prædictum locum Eſaiæ annotauit, ſic enim inquit: Inter cætera quibus ditatur Eccleſia, & vrbs Saluatoris extruitur, alienigenæ quoq; & filij peregrinorum ædificant muros eius, ne hoſtis poſsit intrare, nec locum inuenire perfidia. Alienigenæ autem & peregrini, propriè ſignificant populos nationum: qui verè extruxerunt Eccleſiam Chriſti, in tantum vt Reges eorum & principes miniſtrent ſiue aſsiſtant ei. Et paulò pòſt: Videmus Cæſares Romanos Chriſti iugo colla ſubmittere: ædificare Eccleſias expenſis publicis: & aduerſus perſecutiones gentiũ atq; inſidias Hæreticorum Regum ſcita pandere.

Aduerſariorum Eccleſiæ conatus.

Hæc Hieronymus. His tamen adeò euidentibus oraculis, nequaquam deterriti ſunt plurimi hoc ſæculo, quin huic ipſi Eccleſiæ omnibus viribus aduerſarentur: quibus tantus Eccleſiæ ſplendor oculos perſtringit: & quibus dolet, Reges videre nutritios Eccleſiæ vt eos appellat Propheta. Cùm

Eſa. 49.

tamen

tamen in prædictis verbis Domini, iterũ atq; iterum hoc Regum miniſterium, quod Chriſti Eccleſiæ debent præſtare, celebretur. Sed aduerſarij, Eccleſiæ Chriſti, à qua deſciuerunt, gloriam non ferentes, tyrannidis & auaritiæ ipſam inſimulant: eamq; veram Chriſti Eccleſiam eſſe negare audent: & vel in nouas quasdam & ignobiles, heri, vt aiunt, & nudiuſtertius ortas, quibus ipſi adhærent factiones, Eccleſiæ Chriſti nomen & honorẽ transferre ſatagunt: vel (quod haud ſcio an multò ſit pernicioſius) oẽs paßim Hæreticorum ac Schiſmaticorum ſectas, dummodò Chriſti nomine, quomodocunq; vſurpato cenſeantur, Chriſti Eccleſiæ titulo fouere, ac contegere conantur. Quanquam interim opes Eccleſiaſticas diripere & ad ſuas quiq; ſynagogas, ne dicam domos & arcas, deriuare totis viribus adnitantur. Cuius poſterioris ſententiæ vir alioquin nobilis et nõ poſtremis naturæ dotibus præditus D. Jacobus Niemoieuski, ſe patronum ac defenſorẽ præbuit, cùm ſæpe aliàs, tùm proximè libello quodam Polònico, nominatim cõtra Collegium Societatis JESV *Poſnanien: edito, ac tuo Rex Sereniſſime, ampliſſimo nomini inſcripto.*

Calumnia cõtra Eccleſiã Chriſti.

Niemoieuij opinio de Eccleſia.

pto. Cui quidem libello, cùm epiſtolam Latinam ad S. M. tuam præfixiſſet, ſummam quandam opinionum totius libri continentem, viſum eſt nobis, antequã libelli totius confutandi ocium & facultas detur, hoc ſcripto latino, latinam Epiſtolam confutare, eamq́ confutationem ad S. M. tuam mittere. Cùm enim libellus iſte Niemoieuij nuper admodum in noſtras manus incidiſſet, & eo tempore quo generalia Regni Comitia indicta eſſe communi omnium rumore percrebuerat, tam citò plena reſponſio Polonica, aut parari aut excudi non poſſet, datum eſt hoc mihi negocium, vt hac latina Epiſtola, latinæ D. Jacobi Niemoieuij epiſtolæ reſponderem, & præcipua eiusdem capita breuiter diſcuterem, quidq́ erroris in ſingulis lateret, aperirem. Sunt autem ea capita quatuor potiſſimum, ex quibus alij errores quàm plurimi, tum in eadem epiſtola, tum in ipſo libello dimanant. Primum eſt: Quam Eccleſiam propriè intelligamus: cùm nono Articulo Symboli Apoſtolici, nos Sanctam Eccleſiam Catholicam credere profitemur. Alterum, an in ea Eccleſia etiam Schiſmatici & Hæretici contineri credantur. Tertium, an Petrus

Occaſio huius reſponſionis.

Summa quæſtionum de Eccleſia.

trus Chriſti Apoſtolus, fuerit aliquo modo Chriſti Eccleſiæ caput. Poſtremũ, an Romanus Pontifex ſit legitimus Petri in hoc Eccleſiæ Chriſti gubernandæ munere ſucceſſor. Quamuis autem Orthodoxi Theologi contra huius temporis hæreticos non paruis voluminibus harum quæſtionum veritatem explicauerint, atq; defenderint, Maieſtati tamen Tuæ, vt ſpero, non erit moleſtum, & nonnullis lectoribus non inutile: ſi pro modo epiſtolæ, graues has difficultates parciùs hìc euoluerimus, quàm res tanta poſtulare videatur. Jnprimis ergo quid nono fidei Articulo, nos credere profiteamur, videamus. Jd autem, vtrum potius ab his nouis, ex VVitebergenſium aut Geneuenſium Magiſtrorum officina profectis Theologis, an ab illis antiquiſſimis Patribus, qui & Apoſtolorum temporibus proximi fuerunt, & totam vitam ſuam, in Theologiæ ſtudio ſumma cum vitæ ſanctitate conſumpſerunt, diſcemus? Ab his opinor potius quàm illis. Jtaq; eam rem paucis verbis, ſed ſatis perſpicuis, antiquiſſimus ille ſimul ac doctiſſimus Cyrillus Hieroſolymitanus declarat: Antea, inquit, cecinit Pſalmus: Benedicite

Prima quæſtio, CHRISTI Catholica, quænam ſit illa.

Catech. 18.

Pſalm. 67.

Domi-

Dominum Deum, de fontibus Iſrael: poſtea-
quam autem propter factas Saluatori inſidias
Iudæi exciderunt, alteram ordinauit Saluator
noſter Sanctam Eccleſiam Chriſtianam, de qua
Matth. 16. dixit Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã
ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non
præualebunt ei. Poſtea ſubijcit ſermones prophe-
ticos de his duabus Eccleſijs dicens: De his autem
vtriſq; prophetans Dauid apertè dicit: de prima
Pſalm. 26. quidem excindenda. Odiui Eccleſiam malignã-
tium: de altera verò ædificata in eodem pſalmo
dicit: Domine dilexi decorem domus tuæ. Et de-
inde ſtatim: In Eccleſijs benedicam te Domine.
Vna enim in Iudæa reiecta, per vniuerſum or-
bem deinde Chriſti multiplicatæ ſunt Eccleſiæ.
Pſalm. 149. De quibus in pſal: dicitur: Cãtate Domino can-
ticum nouum, laus eius in Eccleſia Sanctorum.
Hactenus Cyrillus. Qui docet duos Eccleſiæ ſta-
tus: Alterum ante Chriſti in mundum aduen-
tum: alterum poſt paſſionem & Reſurrectio-
nem eiuſdem. Ante Chriſti aduentum Eccle-
ſia Dei erat ſynagoga Iudæorum. Notus enim
Pſalm. 75. erat in Iudæa Devs, in Iſrael magnum nomen
eius. Poſtquàm verò ablatum eſt regnum Dei
à Iu-

à Iudæis, & multi venerunt ex oriente & occidente, vt recumberent cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cœlorum: ab eo tempore Eccleſia gentium eſt Eccleſia Dei. Prius Gentes habebantur immundæ vt canes: Hebræi erant dilecti, vt filij. Unde & Chriſtus Dominus Chananææ dixit: Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus. At poſtquàm Apoſtoli iuſſi ſunt docere omnes Gentes, & prædicare Euangelium omni creaturæ, verſæ ſunt rerum vices: & reprobata Synagoga, electa eſt à Deo Eccleſia Gentium. Et dedit poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius ita vt non ſit amplius Iudæus, neq; Græcus, Barbarus, aut Scyta: ſed noua creatura in Chriſto IESV. *Et quia iam Eccleſia non amplius latebat in angulis Iudææ, ſed per Euangelium diffuſa erat à ſolis ortu vſq; ad occaſum, in vniuerſum orbẽ: inde Catholica, id eſt, vniuerſalis fuit appellata. Hanc nos itaq; ex omnibus paſſim à Chriſto & Apoſtolis eius collectam Eccleſiam in Symbolo Fidei noſtræ Apoſtolico, profitemur: ſed non iam immundam, qualis antequam* CHRISTO *adhæreret, cenſebatur: ſed per Fidem atq; Baptiſmum*

Matth. 15.
Matth. 28.
Ioan. 1.
Galat. 3.
Eccleſia, quã in Symbolo profitemur.

ptiſmum ſanctam, id eſt, Deo conſecratam: & ab ipſo Deo vocatam ad vitam æternam, non minus quàm olim vocata erat Eccleſia Hebræorum. Unde perſpicuum eſt, in Symbolo non agi de Eccleſia ſola iuſtorum, qui in cœlis aut in terris verſantur, quiq; ſoli Deo noti ſunt (quod ſibi perſuadet Niemoieuius) ſed vt dictum eſt, agitur de Eccleſia CHRISTI, ex varijs gentibus per prædicationem Apoſtolorum, aut Apoſtolicorum virorum à DEO conuocata: quæ Eccleſia etiam, vt eſt, ita vocatur Catholica, eò quòd omnes omnium nationum fideles, vbiuis gentium poſitos, in vna fide, fideiq; & Sacramentorum doctrina conſentientes, ac ſub Paſtorum & doctorũ, præcipueq; vnius, quem CHRISTVS ſuo loco Eccleſiæ ſuæ præſidem viſibilem reliquit, obedientia manentes, comprehendit. Non eſt præterea, vt iſti ſomniant, inuiſibilis, ac in ſola mentis comprehenſione poſita, hæc ipſa Chriſti Eccleſia Catholica, ſed maximè aſpectabilis & notiſſima omnibus. Qua de re pluribus in locis D. Auguſtinus contrà Donatiſtas ſui temporis Hæreticos præclarè diſſerit. Vnum è multis locum proferam. In libro de Vnitate Eccleſiæ, contrà

Eccleſia Catholica.

Eccleſiam Chriſti Catholicam eſſe viſibilem hominibus.

contrà epiſtolam Petiliani Donatiſtæ cap. 14.
Sic inquit: Non eſt Eccleſia operta, quia non "
ſub modio ſed ſuper candelabrum, vt luceat om- "
nibus qui in domo ſunt. & de illa dictum eſt: "
Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem po- "
ſita. Sed Donatiſtis velut operta eſt, quia au- " Matt. 5.
diunt tam lucida & aperta teſtimonia, quæ "
illam toto orbe eſſe demonſtrant: & malunt "
clauſis oculis offendere in montem, quàm in eum "
aſcendere: qui cùm eſſet lapis præciſus de monte "
ſine manibus, creuit, & factus eſt mons ma- "
gnus, & impleuit terram vniuerſam. " *Sed qui-*
bus tandem argumentis ſibi perſuadet Niemo- Argumēta
ieuius, Eccleſiam, quam in Symbolo profitemur, Niemoieuij.
electorum potius quàm vocatorum eſſe? eamq́;
non videri, ſed tantùm credi? & hanc Eccleſi-
am quæ videtur, quæq́; verſatur in terris, non
poſſe vocari Catholicam? Duo ille quidem Ar-
gumenta in epiſtola inſinuat magis quàm ex-
plicat, alterum Philoſophicum, alterum Theo-
logicum. Vniuerſalia, inquit, extra mentis
comprehenſionem nequaquam cerni, aut oculis
videri, Eccleſiam verò Chriſti dici Catholicam
hoc eſt, vniuerſalem, non igitur videri. Pri-

mùm libet quærere ab eo, qui nullum in fidei probationibus Argumentum, niſi ex verbo DEI literis expreſſo petitũ admittit, ex quo tandem diuinarum literarum loco, huius Argumenti Propoſitionem depromſerit? Quod ſi ex ratione naturali & media Philoſophia petitam eſſe fatebitur: primùm illud conſideret, quàm ipſe ſuo illi vnico fidei Chriſtianæ probationum principio conſtet: Deinde verò ſuo ſaltem exemplo æquiorem ſe in poſterum cenſorem Catholicis præbeat: ne ſi fortè eos inter diuinorum oraculorum tèſtimonia, naturalibus etiam rationibus, hominibus ratione præditis aliquid diuinum vel probari vel explicari videat, ſtatim vel ſophiſtas appellet, vt diuini verbi præuaricatores clamitet. Deinde verò ſi Philoſophari liberet, oportebat à Philoſophis, & ab ipſis Logicis benè addiſcere, quidnam ſit, Vniuerſale, & quot modis dicatur. Nec enim de omnibus vniuerſalibus verum eſt, illa extra mentis comprehenſionem nequaquam cerni, nec oculis videri, ſed de ijs præcipuè, quæ vniuerſalia in prædicando à Logicis dicuntur, vt ſunt Genera rerum & Species, quæ tamen & ipſa in ſuis indiuiduis ali-

Hæretici, cùm poſſunt, rationibus Philoſophicis vtuntur.

Vniuerſalia quæ non videntur.

quo

quo modo cernuntur. Iam verò Eccleſia non eo modo vocatur Vniuerſalis ſeu Catholica, vt ſit quaſi genus quoddam, aut ſpecies à ſuis indiuiduis mentis operatione abſtracta: ſed dicitur Vniuerſalis per collectionem: ſicut dicitur vniuerſa gens, domus, ciuitas, concio. Sic concilium vniuerſale, ſic comitia regni generalia dicimus. Quæ profectò non in ſola mentis comprehenſione ſunt poſita, ſed extra illam in ſeipſis cernuntur oculis & videntur. Atqui pars quædam, ait Niemoieuius, exigua tantum hìc in terris verſatur eius Catholicæ quæ Symbolo Apoſtolorum comprehenſa creditur: & quæ communionem omnium Sanctorum ac ciuium cœleſtium continet. Atqui nos iam ſuprà demonſtrauimus, in Symbolo propriè, eã Eccleſiam nobis credendam proponi, quæ in terris ex omnibus gentibus, in locum ſynagogæ Iudæorum ſucceſſit: eamq́ue meritò vocari & Sanctam & Catholicam: tametſi, vt maximè illam etiam in cœlo cum Chriſto Triumphãtem Eccleſiam hoc Articulo Symboli coniungeremus, quid tamen prohiberet quo minus vt illa, ſic & hæc Militans, diceretur et Sancta & Catholica? cùm præſertim hæc noſtra in

Eccleſia Vniuerſalis quomodo dicatur.

Obiectio Niemoieuij.

 terris

terris poſita, non genere aliquo ſit ab illa diuerſa, ſed potius pars illius DEI Eccleſiæ, quæ ex Angelis ex hominibus conſtruitur altera ſit cenſenda: loco tantùm & conditione ab illa diſtincta: & ſecundum huius ſui ſtatus rationem perfectè à Chriſto conſtituta: atq; ad ſimilitudinem illius cœleſtis Hierarchiæ conformata: quemadmodum à doctiſſimis Theologis, & ab illo antiquiſſimo D. Pauli diſcipulo Dionyſio Areopagita præclarè eſt demonſtratũ. Quo fit, vt vtriq; ſuo modo conueniant iſtæ duæ notæ: vt ſit vtraq; & Sancta & Catholica. Alioqui ſi illã omnium fidelium cõprehenſionẽ hoc nomine quis intelligat, quẽadmodum videtur intelligere Niemoieuius, quæ à primo fideli homine, oẽs omnino electos, atq; ad vitam æternam prædeſtinatos comprehendit, hac ratione, non modò hæc noſtra in terris, verùm & illa cœleſtis Eccleſia minimè dici poterit Catholica: ad quam nimirum multi ad vitam æternam præfiniti nondum peruenerint. Sed tum demum verè vocanda eſſet Eccleſia Catholica, quando poſt diem Iudicij & conſummationem mundi tradiderit Chriſtus Regnum DEO Patri, vt ſit Deus omnia in omnibus

In lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia.

nibus. Qui ſenſus licet à veritate non ſit alienus, tamen quis eum proprium & germanum huius Articuli eſſe dixerit? Etenim de hac in terris poſita vocatorum Eccleſia ſermonem haberi propriè in Symbolo, ſatis perſpicuum eſt: tum quòd de illa cœleſti Eccleſia nulli omnino aut ignotum aut dubium eſſe poßit, eam eſſe foreq́ & Sanctam & Catholicam, ita vt de eo ſeparatum dogma condi minimè neceſſe fuerit: cuius etiam cœleſtis Eccleſiæ ſtatum vltimo Articulo Symboli deſcriptum habemus, quo vitam æternam nos credere profitemur: tùm quod ſancti Patres, & Concilia illa antiqua Generalia, ad huius noni Articuli explicationem maiorem, addiderint illam aliam notam Eccleſiæ, vt præter Catholicam, diceretur etiã Apoſtolica: quippe quæ & doctrinæ Apoſtolicæ, & officij Paſtorum ab Apoſtolis continuatam ſucceßionem hàberet. Veræ itaq; & propriæ huius in terris poſitæ CHRISTI *Eccleſiæ, ſunt notæ, vt dicatur, tum Sancta, tum Catholica. Sancta quidem, ob ſuæ vocationis & profeßionis, ipſamq́; Baptiſmi & aliorũ Sacramentorũ ſanctitatẽ. Catholica verò ſiue Vniuerſalis, tum propter loca & tempora,*

In Symbolo Fidei de qua Eccleſia dicatur.

Summa profeßionis de Eccleſia.

ad

ad quæ ſe extendit vniuerſa: tum ob gentium & nationum omnium in vnam Fidei doctrinam, Sacramentorum Participationem, et Paſtorum Chriſti vices gerentium obedientiam, coniunctionem. Id verò quod additur, Sanctorum cõmunionem, eſt quaſi quædam Definitio Eccleſiæ. quæ ſanè ſimpliciſſima & maximè propria huius Articuli intelligentia, eſt cenſenda. Nam

Sancta Eccleſia quomodo. *ſi quem fortè Sancti appellatio conturbat, cùm in hac vocatorum Eccleſia multos malos bonis permiſtos cernit, is ſcire debet, diuinis literis, Noui præſertim Teſtamenti id eſſe vſitatum, vt fideles omnes, non tantùm ab electione & diuinæ gratiæ quadam plenitudine (qua notione Sancti nomen plerumq; vſurpamus) verumetiam ab ipſa vocatione & Baptiſmi ſanctificatione, ipſiuſq; ſanctitatis, quam Chriſtiana vocatio requirit profeſſione, ſanctos nominet. Sic D. Paulus in Epiſtolarum ſuarum proœmijs, omnes omnino fideles, quibus ſcribit, vocatos*

1. Petr. 2. *ſanctos frequenter appellat. Sic D. Petrus, omnes in vniuerſum Chriſtianos, genus electum, gentem ſanctam, populum acquiſitionis nominat. Quod ſi quis contentioſius illud, Sanctorum*

com-

communionem, ad Sacramentorum participationem etiam referat, fatemur in hoc quoq; ſenſu, à nonnullis Catholicis hanc partem accipi: ſed ita, vt prior minimè repudietur: quoniam vtrumq; veræ Chriſti Eccleſiæ conuenit, vt in ea, & ſanctorum hominum, & ſanctarum rerum ſit communio. Verùm ex hac quoq; poſteriori intelligentia noſtra corroboratur ſententia: eò quòd Sacramentorum communio, in hac Militante in terris, non verò illa Triumphante in cœlis Eccleſia tenetur & creditur. Jd quod etiam ſequens Articulus Symboli confirmat: quo peccatorum remiſſionem credimus: quæ profectò non illi in cœlo, iam ab omni labe peccati immuni, ſed huic noſtræ, cuius vita eſt militia ſuper terram, Eccleſiæ eſt neceſſaria. Atqui ea quæ credimus (dicet aliquis) non videntur. Fides enim eſt Argumentum non apparentium: Eccleſiam autem Catholicam credimus. At vera Theologia, vt ea quæ propriè ſunt Fidei Chriſtianæ ſubiecta, res à Deo reuelatas & humanis ſenſibus minimè apparentes eſſe concedit: ita res omnes quæ creduntur, omnino & ex omni ſui parte ab humanis aſpectibus remo-

Solutio alterius argumenti.
Hebr. 11.

tas eſſe negat. Sic enim Apoſtoli alijq; fideles, in Chriſtum, quem in terris cum hominibus conuerſantem contuebantur, non potuiſſent fidem habere. De quibus tamen ſæpius dicitur ab Euangeliſtis, quòd crediderint in eum & ipſe
Ioan. 2. 3. 4. 5. 6. 8. *Dominus Apoſtolis: Creditis, inquit, in* DEVM, *& in me credite. Deniq; Thomæ Apo-*
Ioan. 20. *ſtolo Dominus ait: Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti. De qua ſententia Domini D. Gregorius diſſerens iam tantò ante, eam de qua modò inquirimus dubitationem, diſſoluit. Sic enim in-*
D. Gregorius Hom. 26. *quit: Sed cùm Apoſtolus dicat: Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparētium, profectò liquet, quia quæ apparent iam fidem non habent, ſed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas, cùm palpauit, cur ei dicitur: Quia vidiſti me Thoma, credidiſti? ſed aliud vidit, aliud credidit, Hominem vidit &* DEVM *credidit. Hactenus Gregorius. Sic ergo vt olim Thomas Apoſtolus, cùm dixit Domino reſurgenti, Dominus meus &* DEVS *meus. & Dominus ei: quia vidiſti me Thoma credidiſti, aliud vidit, & aliud credidit, vidit enim hominem, & credidit* DEVM. *Ita & nos in Ec-*

cleſia Chriſti aliud videmus, aliud credimus. Videmus enim Eccleſiam Chriſtianam Sacramentis et alijs ſignis exterioribus DEVM *colere: credimus autē, ipſam eſſe à* DEO *ad vitam æternam per Euangelium conuocatam. Quanquam non deſunt & plura alia quæ de Eccleſia credimus, & non videmus. Videmus enim homines ipſos ad Eccleſiam vocatos à* DEO, *qui in illa manent, ſuntq́ membra ipſius: cæterùm qui ſint electi, in hoc cœtu conuocatorum, nec videmus nec agnoſcimus. Nam ſolus* DEVS *nouit* 2.Timoth. 2. *qui ſunt eius: credimus nihilominus firmiter, non alibi electos, quàm in hac ipſa conuocatorum Eccleſia inueniri, extra quam vt olim extra arcam Noë, nemini ſpes ſalutis relicta eſt.* 1.Petr.3. *Deinde credimus, hanc Eccleſiam regi ſpiritu ſancto: eamq́ ob cauſam errare non poſſe: credimus eam eſſe columnam & firmamentum veritatis.* 1.Timoth.3. *Hæc & ſimilia de Eccleſia Chriſti credimus quæ non videmus: licèt ipſam Eccleſiam ſecundum ſuas partes, quæ vtiq́ ſunt viſibiles ſingulæ, quotidiè videamus. Sic & Sacramenta, quæ Fidei noſtræ myſteria paßim à ſanctis Patribus vocantur, ad ſalutem noſtram eſſe in-*

ſtituta, per eaq́; gratiam DEI eo quo par eſt modo illa percipientibus conferri credimus. Et tamen in ſingulis Sacramentis eſt quod videmus, eſt etiam quod credimus. Videmus enim externa ſymbola, ſiue elementa Sacramentorum: videmus item externas actiones, tam eorum qui conferunt, quàm eorum qui ſuſcipiunt. Cæterùm occultam in Sacramentis DEI Opt. Max. operationem & dona DEI quæ per illa mentibus conferuntur, fide percipimus. Non igitur omnia quæ credimus, omni ex parte ſunt ab humanis aſpectibus remota: ſed eæ tantùm res quas in illis propriè credimus: quod in ipſa etiam fide, quæ eſt de Eccleſia Catholica accidere ſatis apertè demonſtratum eſt. Et ſanè cùm Eccleſia ex ipſis hominibus fidelibus conſtet, qui ſunt & dicuntur membra Eccleſiæ: cumq́; homines ſingulos atq; etiam vniuerſos natura ſua ſub aſpectum humanum cadere, nemo niſi ſenſu communi ſit deſtitutus, inficiari poſſit, Eccleſiam etiã ipſam tum in ſingulis ſuis partibus, tum in præcipuis, quæ magis in ipſa eminent, vel ipſam repræſentant, quotidiè videri: quin & vniuerſam natura ſua eſſe aſpectabilem, fateatur neceſſe eſt.

Eccleſia natura ſua viſibilis.

Nihil

Nihil ergo obeſt Eccleſiæ Chriſti, vel quòd dicatur Vniuerſalis, vel quòd credatur, quò minus clara ſit & perſpicua omnibus. Atq; hæc de prima quæſtione dicta ſufficiant. Iam ad ſecundam progrediamur, in qua quæritur: an ſchiſmatici & hæretici ſint membra Eccleſiæ Catholicæ? Id enim aſſerit epiſtola, quaſi Eccleſia ſuo ſinu omnes ſchiſmaticorum & hæreticorum ſectas complecteretur: eſſetq; omnium hæreſum & ſchiſmatum errorumq; in fide, ſentina quædam: Id quod nos conſtanter cum ſanctis Patribus pernegamus. Nam quamuis in Eccleſia Catholica inter fideles baptizatos ſint multi mali, quaſi viui corporis membra infecta & emortua: & Eccleſia ſit areæ comparata à Chriſto, in qua frumenta ſunt, permiſta paleis: agro in quo creſcunt Zizania ſimul cum tritico: ſagenæ miſſa in mare, congreganti piſces bonos & malos: domui in qua ſunt vaſa quædam in honorem, quædam in contumeliam; & quamuis in Eccleſia ſint virgines quædam fatuæ, & aliæ prudentes: omnes tamen ſunt virgines, id eſt, omnes habent fidem, integram, & illibatam. Nam infideles Eccleſiæ mēbra eſſe non poſſunt,

Secunda quæſtio, An hæretici & ſchiſmatici ſint membra Eccleſiæ.

Matth. 3.
Matth. 13.
2. Timoth. 2.
Matth. 25.

 cùm

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Epheſ.4. cùm vnius Eccleſiæ, ſit vna fides & vnum Baptiſma ſecundum Apoſtolum. hic in eodem reti capiuntur piſces boni & mali: ſed ita vt non ſcindatur rete. Non enim ſunt in Eccleſia, qui ſunt ſegregati ab Eccleſiæ vnitate: ſiue ſua ſponte, ſegregati fuerint: ſiue iudicio eorum qui præſunt. Sunt enim qui ſegregant ſemetipſos, ait Thadeus, animales, ſpiritum non habentes, & ſuo iudicio condemnati, vt habet alter Apoſtolus: quales ſunt hæretici & ſchiſmatici. Alij verò ab Eccleſia excluduntur eiuſdem Eccleſiæ iudicio, vt omnes excommunicati, qui à cõmunione fidelium & Eccleſiaſticis ſuffragijs per claues & poteſtatem Eccleſiæ iuſtis de cauſis ſeparantur. Et quidem habet Eccleſia DEI iuriſdictionem etiam in ſchiſmaticos & hæreticos: quaſi filios profugos, vt eos corrigat & puniat: non tamen illi pertinent ad Eccleſiam magis quàm transfugæ ad Exercitum. Mirum eſt autem quod author Epiſtolæ, cùm Eccleſiam Catholicam aſſerat eſſe iuſtorum cœtum ſoli DEO notum, affirmet nihilominus, Eccleſiam ex gentibus conuocatam eſſe partem exiguam Eccleſiæ illius ignotæ: & eiuſdem tamen, Eccleſiæ membra

Qui ſunt alieni ab Eccleſia.

Tit.3.

Eccleſia habet Iuriſdictionem in hæreticos & ſchiſmaticos.

bra faciat Hypocritas & falſos fratres, necnon ſchiſmaticos, & hæreticos: quaſi Ariani & Pelagiani, & Manichæi, & Neſtoriani, & reliqua Hæreticorum portenta, fuerint ex Eccleſia illa iuſtorum, quam diu eſſent Hæretici. Hæc certè inter ſe malè cohærent: & ſunt à veritate aliena: longeq́ aliter docuerunt veteres ſancti Patres, vt Cyrillus Hieroſolymitanus, qui ita ſcripſit: Propriè quoq; & verè aliquis dixerit, Eccleſiam eſſe malignantium, conuenticula Hæreticorum: Martionitarum dico & Manichæorum, & reliquorum, de qua Dauid: Odiui Eccleſiam malignantium; & Rufinus in Expoſitione Symboli, quam aliqui Cypriani eſſe exiſtimarunt, loquitur de Catholica Eccleſia his verbis: Iſta eſt ergo ſancta Eccleſia, non habens maculam aut rugam. Multi etiam & alij Eccleſias congregarunt, vt Martion, vt Valentinus, vt Ebion, vt Manichæus, vt Arius, & cæteri omnes Hæretici. Sed illæ Eccleſiæ non ſunt ſine macula aut ruga perfidiæ. & ideò de illis dicebat Propheta: Odiui Eccleſiam malignãtium. Et Auguſtinus Tom. 4. lib. 4. Euang. in Matth. cap. 13. Hæretici, inquit, non ſocietate

Cyrillus Catecheſi 18. *Pſalm. 25.* *Rufinus.* *Auguſtinus.*

vnius

vnius Eccleſiæ, & vnius fidei, ſed ſocietate ſolius nominis Chriſtiani in hoc nomine permiſcentur bonis. Veniamus ad tertiam controuerſiam de Petri Apoſtoli dignitate. In qua, aſſertiones magna confidentia, vt modeſtiſſimè dicam, in epiſtola D. Niemoieuij expreſſæ, toto cœlo aberrant: & quidem pluribus modis. Primò quidem, cùm Petrum Apoſtolum tantùm non etiam Epiſcopum fuiſſe aſſeuerant: Deinde cum multò minus eundem Romanum Epiſcopum fuiſſe admittunt; imò an Romæ vnquam fuerit in dubium reuocant: & illum caput Apoſtolorum, aut Eccleſiæ fuiſſe negant. Et Epiſcopum quidem non fuiſſe inde probari putat Niemoieuius, quòd Paulus inter Apoſtolos & Epiſcopos apertè diſtinxerit, opinor, ibi Paulum id diſtinxiſſe intelligit, cùm alios dixit à Chriſto Dominus conſtitutos Apoſtolos, alios Paſtores & Doctores. Nomine autẽ Paſtorũ & Doctorum, expreſſit Apoſtolus eos, quos communiter Epiſcopos nominamus. Sed eſto ſanè, diſtinxerit Paulus Apoſtolos ab Epiſcopis ijs, qui tantùm ſunt Epiſcopi, non etiam Apoſtoli; nunquid inde conſequitur Apoſtolos non fuiſſe Epiſcopos? Nam

Tertia quæſtio, de dignitate ſiue primatu S. Petri Apoſtoli.

An D. Petrus fuerit Epiſcopus.

Epheſ. 4.

Nam diſtinxit etiam Apoſtolos à Prophetis & Euangeliſtis: nunquid igitur Ioannes Apoſtolus, nō fuit Propheta, nec Euangeliſta? Certè de Apoſtolo Mathia in locum Iudæ ſubrogato legimus: & Epiſcopatum eius accipiat alter. *Acto. 1.* *Et ipſum Dominum Ieſum Chriſtum, Scriptura ſacra Apoſtolū nominat confeſſionis noſtræ:* *Hebr. 3.* *& nihilominus Paſtorem & Epiſcopum animarum noſtrarum.* *1. Petr. 2.* *Diſtinguuntur etiam hodie Pontifices à Sacerdotibus: nunquid propterea Pontifices non ſunt Sacerdotes? & Sacerdotes diſtinguuntur à Diaconis: nihilominus & Sacerdotes ſunt Diaconi. Apoſtoli habuerunt omnes has gratias gratis datas, vt Theologi vocant.* *Apoſtoli quæ officia habuerunt.* *Erant enim Prophetæ, & Euangeliſtæ, & Paſtores, & Doctores, & Epiſcopi, & præter hæc omnia erant Apoſtoli, id eſt, non ab hominibus, neq; per hominem miſſi, ſed ipſius Chriſti Domini Legati in vniuerſum orbem.* *Galat. 1.* *An ignoramus quid ſit Epiſcopum eſſe?* *Epiſcopus quid.* *Epiſcopus eſt qui regit Eccleſiam quam Deus acquiſiuit ſanguine ſuo.* *Acto. 20.* *Et certè Apoſtoli regebant Eccleſiam: Erant ergo Epiſcopi. Epiſcoporum eſt conſtituere Miniſtros in Eccleſia. At hoc faciebant Apoſtoli:* *1. Tit. 1.*

 erant ergo Epiſcopi. Sed quid multis opus eſt? Si Paulus diſtinxit Apoſtolos à Paſtoribus, & Doctoribus: numquid propterea ipſe Paulus non erat doctor gentium in veritate? & Petrus Apoſtolus non erat paſtor cui à Domino dictum eſt: Paſce oues meas? Hic iam probandum occurrit, Petrum fuiſſe viſibile caput Eccleſiæ, & ipſorum Apoſtolorum, poſt aſcenſionem Domini. Hæc enim verba: Paſce oues meas, ſoli Petro fuiſſe dicta, & quidem in perſona illius propria, non aliorum Apoſtolorum nomine, vel ex eo conſtat: quòd Dominus ipſum prius interrogauit: Petre diligis me plus his? & quòd ipſe reſpondit: Tu ſcis Domine quia amo te. Vt enim hæc non ſunt ab alijs, aut aliorum Apoſtolorum nomine ſed à ſolo Petro dicta, ita & illud: Paſce oues meas, ſoli Petro dictum eſt. Quod vt maneſeſtius eſſet, Dominus præmiſit nomen Petri, & nomen patris eius dicens: Simon Ioannis, vel (vt aliàs legitur) Simon Iona, ſcilicet fili, diligis me plus his? Sic Matth. 16. vbi præmiſſa fuerant, quæ hic Petro committuntur nominatim ipſum compellauit Dominus dicens: Beatus es Simon Bar Iona, & iterum:

1. Timoth. 2. *Ioan. 21.* *Petrum fuiſſe viſibile caput Eccleſiæ.* *Ioan. 21.*

Et

Et ego tibi dico quia tu es Petrus. Unde Theophilactus in hunc locum Ioan: Totius, inquit, orbis præfecturam Petro committit: non autem alij, ſed huic tradit. Primùm quidem, quia omnes præcellebat, & totius cœtus os erat: deinde oſtendens fiduciam ipſi eſſe ſumendam. Hæc verba Theophilacti Oecolampadius in ſua verſione malicioſè omiſerat, quia ſcilicet pungebant hominem hæreſi infectum. Chryſoſtomus verò ſic habet: Quid tandem alijs omiſſis his duntaxat, Petrum affatur? Os erat Apoſtolorum & Princeps. Propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit. Et iterum: præteriens dominus alios, Petro de talibus loquitur. Eximius enim Apoſtolorum erat Petrus, & os diſcipulorum, & vertex collegij. Unde & negatione deleta, cõmittit ei prælationem fratrum. Sed ſingula verba expendamus. Primùm dicitur, paſce, pro quo Græcè primo & tertio loco legitur (βόσκε) id eſt, ale oues meas: ſecundo autem loco legitur (ποίμαινε) quod regere ſignificat: quẽadmodum paſtor ſuum gregem regit. Alicuinus præceptor Caroli Magni citatus in Catena Euangelica ſic interpretatur: Paſcere oues eſt, cre-

Theophil.

Chryſoſt.

Alicuinus.

credentes in Chriſtum ne à fide deficiant confortare: terrena ſubſidia ſi neceſſe eſt, ſubditis prouidere; exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere: aduerſarijs obſiſtere, errantes ſubditos corrigere. Ex hac Alcuini expoſitione conſtat, paſcendi verbo includi, omnia paſtoris officia, quæ Scriptura proponit. Id quod etiam perſpicuum eſt ex Gen. 31. cap. vbi loquitur Iacob ad ſocerum ſuum: Idcirco viginti annos fui tecum, oues tuæ & capræ tuæ ſteriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi: nec captum à beſtia oſtendi tibi. Ego damnum omne reddebam; quicquid furtim perierat à me exigebas; diu noctuq; æſtu vrebar & gelu; fugiebatq; ſomnus ab oculis meis. & Ezech. 34. Hæc dicit DOMINUS DEUS: Ego paſcam oues meas, & ego eas accubare faciam: quod perierat requiram: & quod abiectum erat reducam: & quod confractum erat alligabo: & quod infirmum erat conſolidabo; & quod pingue et forte cuſtodiam: et paſcam illas in iudicio. Et Ioan. 10. Chriſtus ipſe ait: Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt et latro: qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium.

Paſcẽdi verbum, paſtoris officia omnia comprehendit.

ouium. Huic oſtiarius aperit, & oues vocem eius audiunt: & proprias oues vocat nominatim, et educit eas, et cùm proprias oues emiſerit, ante eas vadit, et oues eum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius. Dicitur deinde oues in vulgata editione ſemel tantùm tertio loco, in Græca autem ſecundo et tertio. Primo autem loco dicitur, Agnos. Jam inter oues et agnos hæc differentia ſtatui poteſt, quia oues ſunt agnorum matres, vt per oues ſuperiores, per agnos ſubditi deſignati intelligantur. Unde Euthymius per oues intelligit Apoſtolos quos Luc. 22. Petro Dominus commendauerat dicens: Confirma fratres tuos. Theophilactus autem: Poteſt quis, ait, aſsignare differentiam inter agnos et oues. Agni ſunt, qui introducuntur, oues verò perfecti. Sic Paulus, quaſi ouis et mater ad agnos loquitur: Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis. & Dominus Apoſtolos oues nominauit, cùm eis dixit: Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Præterea oues hoc loco non tantùm Iſraelitæ nominantur, ſed etiam gentes: Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, et illas oportet me adducere. Nec

Diſcrimē inter Oues & Agnos.

Galat. 4.

Matth. 10.

Ioan. 10.

tantùm

tantùm hic iuſti aut electi nomine ouium intelliguntur, ſed etiam, impij: qui ſunt quaſi oues errãtes non habẽtes paſtorem. Poſtremò addit Dominus, meas. Primò quidem ſecundum Augu- Auguſtin. ſtinum, vt doceat paſtorem in regendis ouibus ratione præditis, oportere non quærere quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV Chriſti. Secundũ Bernardum D. Bernard. autem vti exprimatur amplitudo præfecturæ Petri, lib. 2. de conſideratione ad Eugenium: Tu, inquit, es, cui claues traditæ, cui oues commiſſæ ſunt. ſunt quidem et alij cœli ianitores, gregumq́; paſtores: ſed tu tantò glorioſius, quãtò et differentius vtrũq; præ cæteris nomẽ hæreditaſti. Habent illi ſibi aßignatos greges, ſinguli ſingulos: Tibi vniuerſi crediti ſunt, vni vnus. Nec modò ouium, ſed et paſtorum. Tu vnus omnium paſtor. Vnde id probem quæris? Ex verbo domini. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed et Apoſtolorum ſic abſolutè, et indiſcretè cõmiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre, paſce oues meas. Quas? Illius vel illius populos ciuitatis aut regionis, aut certè regni? Oues meas, inquit, cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aßignaſſe omnes? nihil excipit, vbi diſtinguitur

tur nihil. Hæc Bernardus. Dictum quidem fuerat proximo capite omnibus Apoſtolis: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Sed hic vnus omnibus præficitur, vt ſchiſmatis tollatur occaſio, & Eccleſia vna monſtretur: ſecundum Hieronymum. Et ter quidem Dominus gregem ſuum Petro commendauit, non ſolùm vt trinam negationem trina confeſſione deleret: verùmetiam inter alias cauſas, propter rei dignitatem. Atq; ideo ex hac trina interrogatione, teſte Cyrillo, & Theophylacto, inoleuit conſuetudo: vt ter interrogentur baptizandi. Matth. etiam 16. Tria præcipua Chriſtus dixerat Petro: Primum quidem: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Secundum: Et tibi dabo claues regni cœlorum. Tertium deniq;: Et quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, &c. His ergo tribus promiſſionis partibus, trina ouium Chriſti commendatio reſpondet. Et propter hanc poteſtatem Petrus poſt Aſcenſionem Domini ſurgit in medio fratrum; Et ſtatuit eligendum eſſe aliquem in locum Iudæ filij perditionis. Et, vt obſeruauit Chryſoſtomus: Quamuis diſcipulis permiſit Petrus electionem,

Ioan. 20.

Hieron. lib. 1. cont. Iouinianum.

Matth. 16.

Actor. 1.

Homil. 3. in Acta Apoſt.

ctionem, quam ipſe ſolus facere poterat: ſtatuit ipſe tamen, atq; decernit, omnino electionem eſſe faciendam. Oportet, inquit, ex his qui nobiſcum ſunt congregati, teſtem fieri reſurrectionis, &c. Illud, Oportet, vim habet præcipiendi, & neceſſitatem quandam audientibus ſignificat. Sic etiam ſcriptura de Petro in domo Cornelij teſtatur: iuſsiſſe ipſum (ſcilicet ſuis comitibus) vt Cornelij familiam baptizarent. Eadem poteſtate Petrus author fuit ſententiæ de abrogandis Moſaicæ legis cæremoniis in Concilio Apoſtolorum & ſeniorum, vt Hieron: annotauit. Hanc poteſtatem, perpetua iam inde ab Apoſtolis deriuata traditio docet, tranſiſſe ad Romanos pontifices, ſummos Chriſti Eccleſiæ in terris Hierarchas. Petrus enim poteſtatem ligandi & ſoluendi quam à Domino acceperat, Clementi tradidit, Romano Pontifici & Chriſti Martyri, cuius mentionem fecit Paulus. Id refert ipſe Clemẽs in Epiſt. 1. ad fratrẽ Domini. Id oẽs ſancti Patres antiquiſsimi quiq;, id oẽs Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ conſtanter aſſeuerant. Et quidem Petrus duo habuit inter alia priuilegia. Nam & Apoſtolus erat, & paſtor oviũ Chriſti.

Acto. 10.
Acto. 15.
In Epiſtola ad Auguſtinum.
Romanus Põtifex, D. Petri ſucceſſor, in Primatu Eccleſiæ.
Philip. 4.
D. Petri duo priuilegia.

Ea

Ea ratione qua fuit Apoſtolus, erat æqualis aliis Apoſtolis, in poteſtate Apoſtolica, quam ſimul cum aliјs acceperat, dicente Domino: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Huius Apoſtolicæ poteſtatis nullum habuit ſucceſſorem Petrus, vt nec aliј apoſtoli. Solos enim nouit Eccleſia duodecim, apoſtolos ante Chriſti aſcenſionem: Et poſt aſcenſionem, Paulum & Barnabam, & qui Iudæ ſucceſſit Mathiam. Illud verò obſeruandum eſt, in ſacris literis, etiam Epiſcopos aliquando vocari apoſtolos, ſed communi & latius ſumpta vocabuli ſignificatione, vt ad Rom. Andronicus & Julius dicuntur nobiles in apoſtolis. Et ad Philippen. Epaphroditus vocatur Philippenſium apoſtolus. Vt autem Petrus fuit paſtor ouium Chriſti, ſucceſſorem habuit, & habet, atq; adeò, licet inuitіs inferorum portis, vſq; ad conſummationem ſæculi habebit, Romanũ Pontificem. Hunc enim paſtoratum ſoli Petro Chriſtus commendauit, etiamſi adeſſent præſentes aliqui, ex diſcipulis, & apoſtolis, vt Nathanaël, Thomas, & Joannes. Sunt quidem in Eccleſia paſtores plures: ſed non ſunt, nec vnquam fuerunt legi-

Ioan. 20.

Epiſcopi quomodo appellantur Apoſtoli in ſacris literis.

Rom. 16.

timi

timi paſtores, niſi qui à Petro vel eius ſucceſſore Romano Pontifice, per ſe vel per alium, poteſtatem paſcendi acceperunt, vt illi ad quos Petrus ſcribit: Seniores obſecro conſenior, paſcite qui in vobis eſt gregem. Reliqui Apoſtoli, nuſquam in ſacris literis vocantur paſtores, quamuis procul dubio erant paſtores, quatenus paſtoratus in Apoſtolatu includitur: aut quatenus erant interdum locorum aliquorum particularium Epiſcopi, vt Ioannes Epheſi, Iacobus Hieroſolymis. Nam quatenus paſtoratus aut Apoſtolatus diſtinguitur, ſoli Petro generalis totius Eccleſiæ à Chriſto datus eſt. Cuius quidem Petro proprij paſtoratus, & communis cum alijs Apoſtolatus diſcrimen in hoc etiam dignoſcitur: quòd aliorum Apoſtolorum nullus, cæteris Apoſtolis præerat: ſed in Apoſtolatu omnes erant æquales: At Petrus habebat poteſtatem in alios Apoſtolos. Illi enim dictum eſt: Confirma fratres tuos. Non eſt autem alijs dictum, vt Petrum, aut alterum quempiam ex Apoſtolis confirmarent. Sic hodie Romanus pontifex duo habet: nempe vt ſit Epiſcopus, & vt ſit Petri ſucceſſor. vt eſt Epiſcopus, non eſt maior

1. Petr. 5.

Diſcrimen Apoſtolatus & Paſtoratus in Apoſtolis.

Luc. 22.

Rom. Pontif. quid habet cõmune cum alijs Epiſcopis, & quid ſupra alios.

maior alijs Epiſcopis: ſed in Epiſcopalis ordinis poteſtate, omnes ſunt pares: vt alicubi Hieronymus, Epiſcopum Eugubij parem facit Epiſcopo Romano. Ut autem Romanus Epiſcopus, eſt Petri ſucceſſor, omnibuſq́ Epiſcopis praeeſt, per vniuerſum orbem. Succedit autem Petro, vt iam oſtendimus, non in Apoſtolatu, ſed in paſtoratu ouium Chriſti. Hinc factum eſt, vt omnes Hiſtoriae docent, vt Epiſcopus Romanus nunquam ab aliquo alio Epiſcopo confirmationem petierit. At reliqui Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchae, ſemper à Romana Eccleſia confirmati ſunt in ſua dignitate, vel in ſua vel in aliorum perſona. Nam ſupremi illi Patriarchae à Romano Pont. confirmati ſunt, vt Athanaſius Alexandrinus à Iulio, Flauianus Antiochenus à Damaſo, & Anatolius Conſtantinopolitanus à Leone. Et quidem in Hiſtoria legimus, olim Romanos Pontifices, in ſua dignitate, ab Imperatoribus, Romanis confirmari ſolitos: non tamen iure Diuino id factum eſt: ſed Romanae Eccleſiae conniuentia, vt ſic Imperatoribus Chriſtianis indulgeret, vtq́ eorum potentia, & authoritate, ab aduerſarijs defenderetur.

Patriarchae iam olim cõfirmati à Romano Pontifice.

Romani Pontifices quomodo olim confirmabãtur ab Impp.

deretur. Nec verò in eum ſinẽ hæc ab Imperatoribus Romanorum Pontificum confirmatio fiebat, quaſi ab ea Pontificum dignitas atq; auctoritas dependeret: ſed tantùm ad tuendam tum Eccleſiæ, tum Imperij tranquillitatem. quemadmodum & noſtro tempore Epiſcopos à Regibus in ſuis regnis vel deſignari vel confirmari videmus. At temporum ſucceſſu, poſtquàm iſtæ rationes ceſſarunt, & poſtquàm clarius Imperatores Christiani intellexerunt, ſe locum habere ouium in Eccleſia, Epiſcopos verò eſſe paſtores, & potiſſimum Romanum Pontificem eſſe vniuerſæ Eccleſiæ, Chriſti loco præſidem, vltrò priori conſuetudini renunciarunt: & ipſi potius Imperatores in ſuo imperio à Romanis Pontificibus confirmari petierunt, vſq; in præſentem diem. Porrò hanc poteſtatem ſummi paſtoris non impedit, quòd Chriſtus Dominus adhuc viuat in cœlis, & Eccleſiæ ſuæ ſit caput, atque ipſam regat. Nemo enim negauerit Chriſtum & caput eſſe & Regem tam Poloniæ quàm aliorum regnorum: Nec tamen ideò, aut Sereniſſimum Regem noſtrum STEPHANVM, *aut alios Reges Chriſtianos, ſuorum Regnorum eſſe*

Primatus Romani Pontificus, nihil derogat Chriſto.

Reges

Reges & capita Politica negamus. Regit Chriſtus regna: ſed per Reges. Regit etiam Eccleſiam, ſed per Epiſcopos, inter quos iure diuino Romanus primatum habet. Quæ autem dicta ſunt, manifeſtum eſſe opinor, vel me tacente, de poteſtate Eccleſiaſtica Rom. Pontificis eſſe intelligenda. Nam poteſtatem quam habet Rom. Pontifex politicā in quaſdam prouincias, fatemur ipſum non habere iure diuino, ſed aut donatione piorum principum, aut alijs vijs legitimis. Sed ad S. Petrum redeamus: quem Epiſcopum quidem hactenus fuiſſe oſtendimus, & quidem Epiſcoporum Epiſcopum. Verùm requirit à nobis Niemoieuius, vt Petrum in ſacris literis caput Eccleſiæ nominatum, ac eundem Romanum Epiſcopum fuiſſe, earundem teſtimonio demonſtremus. Certè futile eſt, de nomine laborare, quando conſtat de re. Vidimus Chryſoſtomum Apoſtolorum principem & verticem Collegij, & os diſcipulorum Petrum nominaſſe. Ab Hilario, Beatus cœli clauiger: à Clemente, & pluribus alijs, Fundamentum Eccleſiæ: à Leone, Princeps Apoſtolici ordinis: ab Areopagita, Diſcipulorum Coryphæus, & antiquiſſimum colu-

Quæ poteſtas Romani Pont. de Iure Diuino.

Reſponſio ad futilem Obiectionem.

D. Petri Epitheta.

In Matt. 16.

Epiſt. 1.

Lib. de Diu. nomin.

 men

 men Theologorum vocatus eſt. In ſacris literis,
Matth. 10. Matthæus Petrum inter Apoſtolos primum appellat. Unde & primatus nomen deductum eſt. A Paulo Petrus vocatur columna: quem ſolùm ut videret, profectus eſt ipſe Paulus Hie-
Galat. 2. roſolymam: ne in vacuum curreret, ut ipſe ait, aut cucurriſſet. In Euangelio ab ipſo Domino Si-
Matth. 16. mon Petra nominatus eſt, ſiue ſyriacè Cephas,
Ioan. 21. & paſtor ouium, & confirmator fratrum.
Luc. 22. Quid aliud quæſo, iſta cognomina ſibi volunt, quàm Petrum caput eſſe Apoſtolorum, & to-
Amos 6. tius Eccleſiæ? præſertim cùm in ipſis ſacris literis Optimates capita populorum, appellari legamus. Quid aliud ſignificat, quàm eos primos eſſe
1. Cor. 11. in populis à quibus populi gubernantur? Cùm rurſus Paulus dicat, virum caput eſſe mulieris, & caput viri Chriſtum, quid aliud docet, quàm mulieri virum præeſſe, viro autem Chriſtum Dominum? quẽadmodũ videlicet caput omnia membra regit, & membrorum omnium eſt primum. Sed ne quis nomen ipſum capitis, deſide-
Eccleſia cõparatur corpori humano. 1. Cor. 12. ret, habet apud Paulum, in prima ad Corinth. Ubi Eccleſiam comparat corpori humano: & membra Eccleſiæ, membris corporis. Ibi legimus

mus membra mutuis auxilijs indigere. Nam ſi totum corpus oculus, vbi auditus? ſi totum corpus auditus, vbi odoratus eſt? &c. Jbidemq́; Paulus ait: Numquid caput poteſt dicere, pedibus, non eſtis mihi neceſſarij? Chriſtus quidem Dominus alibi ab eodem Apoſtolo, dicitur eſſe caput ſuper omnem Eccleſiam: ſed Chriſtus procul dubio poteſt dicere pedibus, & omnibus Eccleſiæ membris, non eſtis mihi neceſſarij. Aliud ergo caput viſibile, & Chriſti vicarium conſtituendum eſt in Eccleſia, quod opera pedum indigeat: & illis dicere non poſſit: Non eſtis mihi neceſſarij. Hoc caput in Eccleſia quod aliud ſtatuere quis poteſt, niſi Petrum? & eius ſucceſſorem Rom. Pontificem? qui opera indiget, non ſolùm aliorum Epiſcoporum, qui vocati ſunt in partem ſolicitudinis, ſed opera etiam opus habet aliorum membrorum. Nec tamen ideo aut Chriſtus non eſt caput Eccleſiæ, aut Eccleſia eſt monſtroſa, duo habens capita: vt quidem peſſimè comminiſcuntur. Nam (vt ſuprà diximus) Chriſtus eſt Rex omnium regnorum. Et nihilominus Reges chriſtiani, ſunt Reges ſuorum quiq; regnorum. Jta Chriſtus eſt caput Eccleſiæ Trium-

Coloſſ. 2.

Eccleſia non eſt monſtroſa.

 umphantis, & Militantis ab orbe condito vſq; ad conſummationem ſæculi, imò in æternum: Petrus verò fuit caput tantùm Eccleſiæ Militantis: idq; paruo illo tempore, quo Pontificatum geſſit, atq; vt Chriſti vices gerens. Idem de ipſius ſucceſſore Pont. Romano dicendum eſt. In corpore naturali monſtroſum eſt habere duo capita: ſed in corpore myſtico non eſt monſtroſum, neq; nouum: imò quodammodo neceſſarium. Nam cùm Paulus dixit: Caput mulieris eſſe virum, non ideo negauit Chriſtum eſſe caput mulieris. Alioquin Chriſtus non eſſet caput totius Eccleſiæ, cùm bona Eccleſiæ pars ſit fœminei ſexus. Neq; tamen ideo mulier eſt monſtrum: quia vnum caput habet ſecundum naturam, alterum caput virum, & tertium caput Chriſtum. Hæc enim capita ſunt ſibi inuicem ſubordinata. Chriſtus eſt caput ſupremum: Petrus eſt caput vicarium, (vt ita dicam) viſibile, & miniſteriale. Sic & eius ſucceſſor Romanus Pontifex. Puerilia fortaſſis hæc videbuntur. Verùm hæc nobis obijcere ſolent noui iſti Rabbini: iiſq; ſibi mirè placent, ac ſi fortiſſima eſſent argumēta, cùm ſint potius puerilia & Sophiſtica deliramenta.

In corpore myſtico, nihil monſtri eſt, eſſe duo capita ſubordinata.

Atq;

Atq; vt eam rem breuiter & dilucidè explicemus: duæ ſunt metaphoræ, in huius D. Petri & Romani Pontificis Eccleſiæ primatus appellatione. altera dicitur Petrus fundamentum Eccleſiæ: altera dicitur Eccleſiæ caput: Sed idem omnino per vtramq; tralationem verbi ſignificatur. Et fundamentũ quidẽ Eccleſiæ vno ore Patres Petrum appellarunt, vt Cyprianus Lib. Epiſt. 3. & alijs locis, & Tertullianus lib. de præſcriptionibus aduerſus Hæreticos. & Origenes ſexto capite ad Rom: Hilarius in Matth: 16. Ambr: ſerm: 47. Hieronymus primo contra Iouinianum, & alibi ſæpe. Chryſoſtomus Homil: 55. in Matth. Cyrillus lib: 2. in Ioannem cap: 12. Epiphan: in Ancorato, Leo epiſtola 67. Proferamus pauca è multis. Baſilius Homil: 29. Petrus collocatus eſt in fundamẽto. Dixit enim, Tu es Chriſtus Filius Dei viui, & viciſſim audiuit ſe eſſe petrã. Licèt enim petra eſſet, nõ tamẽ petra erat, vt Chriſtus. Nã Chriſtus verè immobilis petra, Petrus verò propter petrã. Dignitates enim ſuas Deus largitur alijs. Sacerdos eſt, et facit Sacerdotes: Petra eſt, & facit petram, & quæ ſua ſunt largitur ſeruis ſuis. Cyprianus tract. 3.

Petrus et Romanus Pont. quomodo dicatur Fundamentum & Caput Eccleſiæ.

Baſilius.

Cyprianus.

de ſimplicitate Prælatorum: Loquitur Dominus ad Petrum, Ego Petre dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ſuper vnum ædificat Eccleſiam. Idem lib. 1. epiſt. 3. Neq; enim hæreſes aliunde obortæ ſunt aut nata ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti DEI *non obtemperatur: nec vnius in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſus Sacerdotum Collegium quicquam moueret: nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coëpiſcoporum conſenſum, iudicem ſe iam non Epiſcopi ſed Dei faceret. Et in eadem epiſtola: Petrus, ſuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, &c. Iam verò Apoſtolum Petrum Romæ fuiſſe, ibidem docuiſſe, & Cathedram Epiſcopalem tenuiſſe, atq; crucis martyrium obijſſe, adeò perſpicuum eſt, vt per mille quingentos, & eò amplius annos, nemo vnquã id in dubium reuocauerit, vſq; ad noſtra hæc tẽpora: in quibus contra propriam conſcientiam auſi ſunt quidam id negare, aut ſaltem in dubium*

D. Petrum fuiſſe Romanum Epiſcopum.

um vertere. Non quòd ita credant: ſed vt ſic fidem Romanæ Eccleſiæ, cuius odio flagrant pluſquàm Vatiniano, quoquo modo poßint labefactent. Et interim miſeri, qui non dicam Liuio, aut Salluſtio, & reliquis prophanis ſcriptoribus, ſed Sleidano cuipiam, hiſtorico noſtri temporis, vt pij & graues viri iudicant, non adeò bonæ fidei, alijſq́; ſimilibus fidem in multis quæ illi ſcribunt adhibent: volunt efficere, vt nos non credamus concordibus teſtimonijs, ſexcentorum, imò innumerabilium Patrum, qui vno ore Petrum Romani Pontificatus fundatorem agnoſcunt. Quærerem ab ijs libenter, cùm ipſi credant, Ciceronem, aut Iul: Cæſarem Romæ fuiſſe, cur nolint credere, Petrum Romæ fuiſſe? Cùm nec plures, nec grauiores, nec ſanctiores, nec ſapientiores, nec digniores fuerint, qui de Cicerone aut Cæſare memoriæ prodiderunt, quàm qui de Petro. Imò pleriſq; qui hæc ſcripſerunt, tantopere veritas fuit cordi, vt mori mallent, quàm falſum dicere. Cùm igitur negare Petrum Romæ fuiſſe perinde ſit, ac negare ſolem in cœlo ſplendere: non dignabor profectò hìc teſtimonia multa congerere, quibus id probem:

 claſſes

claſſes tantùm autorum, qui illud ſcripſerunt breuiter proponam. Prius tamen non omittam verba eiuſdem Petri in fine primæ ſuæ epiſtolæ: Salutat, inquit, vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone coëlecta, & Marcus filius meus. Quibus verbis Petrus indicat ſe cum Marco in Babylone conſtitutum illam epiſtolam ſcripſiſſe. Nomine autem Babylonis non intelligit Babylonem Aſſyriam, nec Ægyptiam (nulla enim vnquam extat memoria quòd Petrus in Babylonem ex iis aliquam peruenerit) ſed Babylonem vocat Romam, ſimul & Eccleſiam coëlectam. Babylonem quidem propter Neronem, & Idololatras qui Romæ tunc imperabant: Eccleſiam verò coëlectum, propter Sanctos & Fideles, qui Romæ verſabantur. Sic intellexit eum locũ Papias Ioannis Apoſtoli diſcipulus, vt eſt apud Euſebiũ in hiſtoria Eccleſiaſtica. Sic reliqui omnes expoſitores veteres. Ipſi etiam Hæretici libenter ſolent Romam Babylonem appellare paſſim in Apocalypſi, & alibi: ſed cùm in hunc locum epiſtolæ Petri peruenerunt, repente Roma non amplius eſt illis Babylon. Diſcipuli Apoſtolorum idem de D. Petro tradiderunt: vt

1. Petr. 5.

Romam D. Petrus quomodo appellarit Babylonem.

Teſtimonia antiquorum D. Petrum fuiſſe Rom. Pont.

clemens

Clemens in Conſtitutionibus Apoſtolicis: & in epiſtola prima ad fratrem Domini. Anacletus ſimiliter in ſuis epiſtolis. Marcellus & Linus Petri diſcipuli in vita S. Petri: Ignatius epiſtola ad Rom: Deinde qui tempore Martyrum ſcripſerunt idem confirmant, vt Iuſtinus Martyr. Et Dionyſius Corinthius apud Euſebium in Hiſtoria Eccleſiaſtica, & Caius vetus ſcriptor apud eundem: Tertullianus præterea & Cyprianus & Arnobius contrà gentes. Ad hæc qui memoriæ prodiderunt, quando & à quibus ſcripta fuerint quatuor Euangelia: vt Ireneus, & Hieron: tradunt Marcum Romæ Petro approbante ſuum Euangelium exaraſſe. Omnes etiam qui Martyrologia ediderunt, vt Uſuardus & Beda, in die SS. Petri & Pauli idem referunt. Idem inculcant, quicunq; vitas Romanorum Pont. ſcripſerunt, vt Damaſus & Platina. Idem qui vitas Apoſtolorum tradiderunt vt Abdias & Dorotheus. Idem qui de hæreſibus commentarios conſcripſerunt, vt Epiphanius & Philaſtrius, agentes de Simone Mago, quem Petrus Romæ confutauit. Idem Hiſtorici Eccleſiaſtici, vt Euſebius & Nicephorus.

D. Petrum fuiſſe Rom. Pont.

Idem

 Idem Doctores Græci & Latini, vt Chryſoſtomus Homil. 10. in ſecundam ad Timoth. & Hieronymus ad Damaſum, & Auguſtinus pluribus locis. Idem authores Homil. de Sanctis, vt ſanctus Maximus, & Petrus Chryſologus in feſto SS. Petri & Pauli. Idem Imperatores, vt Conſtantinus, Martianus, Gratianus, Juſtinus, & Juſtinianus in ſuis edictis & legibus. Idem concilia prouincialia vt Ægyptiorum ad Felicem Rom. Pontificem. Idem concilia Generalia, vt ſextum, vbi dicitur de Agathone Romano Pontifice: Agatho videbatur, & Petrus per Agathonem loquebatur. Deniq; idem fatentur hæretici noſtri temporis, plures & modeſtiores, vt Melanchthon in chronicis Carionis, & alij.

Quomodo Rom. Pont. D. Petro ſuccedat.

Jam de Romano Pontifice, quod erat poſtremum, quomodo Petro ſucceſſerit, præter illa quæ ſupra ſcripſimus, aliquid ſubiungamus. Nam epiſtola Niemoieuij obijcit innumerabiles eſſe Chriſtianos, qui eius poteſtatem non agnoſcant: ſed cùm Eccleſiæ membra faciat ſchiſmaticos & hæreticos, non eſt mirum, ſi ex eo grege multi ſunt qui Romanam cathedram non agnoſcunt.

At

At è fidelium populo nullus ignorat Papam eſſe Romæ, caput Eccleſiæ Catholicæ: imò nec ipſi hæretici, qui propterea tela ſua contra illam ſedem dirigunt, vt gubernatore ſublato, liberius in Eccleſiæ naufragio graſſentur, vt verbis vtar Cypriani. Id verò luce clarius probant teſtimonia veterum ſcriptorum Græcorum, & Latinorum. Exordiar à Græcis, qui cùm alioquin æmuli eſſe ſoleant Romanæ ſedis, eius tamen poteſtatem ſæpe coguntur agnoſcere: vt cùm reſtitutionem Athanaſij in ſedem Alexandrinam deſcribunt factam authoritate Iulij Romani Pont. Poteſtatem illam agnoſcit Concil: Sardicen. ſtatim poſt primum Nicænum congregatum, ex Epiſcopis Pannoniæ, Myſiæ, Datiæ, Dardaniæ, Macedoniæ, Theſſaliæ, Achaiæ, Epiri, Thraciæ, Aſiæ, Bithyniæ, Capadociæ, Ponti, Ciliciæ, Paleſtinæ, Arabiæ, Ægypti & Africæ, &c. canone 4. Hoſius Epiſcopus dixit: Quod ſi aliquis Epiſcopus adiudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, vt iterum iudicium renouetur, ſi vobis placet, S. Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ſcribatur vel ab ijs qui examinauerunt, vel

Teſtimonia veterum de ſucceſſione Romanorum P. P. in Cathedram D. Petri.

Conciliū Sardicenſe.

etiam

etiam ab alijs Epiſcopis qui in propinquo morantur, Romano Epiſcopo, & ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det Judices. Si autem probauerit talem cauſam, vt ea non refricentur, quæ acta ſunt, quæ decreuerit Romanus Epiſcopus, confirmata erunt, ſi ergo omnibus placet ſtatuatur. Synodus reſpondit, Placet. Hìc patres ex toto ferè orbe tam multi congregati, non ſolum Rom: Pontificis poteſtatem prædicant in omnes Epiſcopos, verùm etiam in eo ſe teſtantur B. Petri memoriam honorare. Quomodo honorabant ſi Petrus non fuerat Romanus Pontifex?

Socrates. Socrates lib. 2. Hiſtor: Eccleſiaſticæ cap: 13. Chriſtophorſono interprete ſic habet: *Julius literis cõtrarijs ad ipſum miſſis, Epiſcopis qui Antiochiæ conuenerunt, per literas reſpondit: ac primùm docet, quantum moleſtiæ, & acerbitatis eorum Epiſtola ipſi attuliſſet. Deinde eos contra Eccleſiæ canones egiſſe, quòd illum ad concilium non vocaſſent: quippe cùm canon Eccleſiaſticus vetat: Ne decreta abſq; Epiſcopi Romani ſententia ſanciantur.*

Sozomenus. Sozomenus lib 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 4. eodem interprete: *Ad illos qui Antiochiæ conuenerant* (nam

(*nam fortè fortuna id temporis eorum acceperat epiſtolam*) *ſcripſit Julius: atq; adeò incuſauit, quòd clam contra fidem concilij Nicani nouas res moliti fuerant: quodq; contra leges Eccleſiæ ipſum ad concilium non vocarant. Nam legem eſſe ad Sacerdotij dignitatem ſpectantem, quæ pronunciat, acta illa irrita eſſe, quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani conſtituuntur. Theodoretus lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 4.* Theodoret. *eodem interprete. Julius Eccleſiæ Canonem ſecutus, & eos iuſſit Romam venire: & Athanaſium, quò pro ſe in iudicio ipſe reſponderet vocauit. Nicephorus lib. 9. Eccleſ. Hiſt. cap. 8.* Nicephorus. *Horum cauſa* (*Athanaſij & quorundam aliorum*) *Iulius antiſtes Romanus cognita, quòd conſentientes ſibi de Nicanis decretis inuenit, communione eos eſt dignatus. Pro amplitudine autem ſedis ſuæ, ex veteri priuilegio & prærogatiua perſuaſum habens omnium vbiq; Epiſcoporum curam & iudicium ad ſe pertinere, datis cuiq; liberrimè ſcriptis literis, ſuas eis Eccleſias reddidit, eoſq; in orientem remiſit. Et cap. 10. Antiochenis Iulium reſcripſiſſe refert* (*quamuis Ariani erant*) *quòd præter Ec-*

cleſiaſticam conſuetudinem, ſe quoq; in Synodum vocare intermiſiſſent. Extare enim Eccleſiaſticum Canonem, authoritatem omnem eis abrogantem, quæ præter Romani Pontificis ſententiam peracta eſſent. Epiſtola Ægyptiorum ad Fœlicem ſecundum: ſcimus in Nicæna magna synodo 318. Epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſq; Romani Pontificis ſententia Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari. Juſtinianus Imp. eiuſdem eſt ſententiæ. Nouella conſtitutione 131. de appellatione Epiſcoporum ad Romanum Pontificem. Scripſit etiam Palladius in vita Chryſoſtomi, hoc Romanæ ſedis priuilegium. Agnouit Amianus Marcellinus Hiſtoricus, quamuis à Chriſtiana religione alienus. Unde lib. 15. refert, Conſtantium Jmperatorem ardenter cupiuiſſe, vt ſententia aduerſus Athanaſium iudicio Liberij romani Pōtificis firmaretur: propter authoritatem, inquit, qua potiores ſunt æternæ vrbis Epiſcopi. Romanam Eccleſiam eſſe principalem teſtantur Cyprianus lib. 4. epiſtola 8. Tertullianus de præſcriptionibus aduerſus hæreticos. Jrenæus lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 3.

Juſtinianus Imp.

Amianus Marcellinus.

Sanctorū Patrum teſtimonia.

Am-

Ambroſius ſermone 47. Auguſtinus Epiſt. 106. & 162. & tractatu 56. in Ioannem, & lib. 2. contra Pelagium, & lib. 2. contra Donatiſtas cap. 11. Concilium Chalcedon. Actione 12. & tertium Conſtantinopolitanum in ſententia contra Anthimum hæreticum & Synodus ſexta Actione 4. in fidei profeſſione, & Synodus ſeptima Actione ſecunda, & Synodus octaua Can. 2.

Concilia.

E quibus tam multis tantæ antiquitatis & ſanctitatis teſtimonijs duo tantùm modò proferamus. D. Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. Nauigare audent, & ad Petri cathedram, atq; ad Eccleſiam principalem à ſchiſmaticis & profanis literas ferre: nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt: ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum. Hieronymus ad Damaſum. Faceſſat inuidia, Romani culminis, recedat ambitio, cum ſucceſſore piſcatoris & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri, communione conſocior ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio: Quicunq; extra hanc domum, agnum come-

D. Cyprian.

D. Hieron.

derit prophanus eſt. Si quis in arca Dei non fuerit, peribit regnante diluuio. Hæc olim. Noſtro autem tempore patriarcha Aſſyrius Romam veniens nomine ſuo & ſibi ſubiectorum Epiſcoporum petijt ſuum patriarchatum confirmari à Romano pontifice, & ſubſcripſit decretis & decernendis in concilio Tridentino. Imperator Æthiopiæ, quem pratoianem appellant, petijt & impetrauit patriarcham à Iulio 3. eoq́; miſſus eſt quidam ex Societate noſtra. Eandem ſummi pont. authoritatẽ in Legato à Pio V. in hoc regnum miſſo non ita pridem cognouerunt Armeni, tam ij qui ſunt in Lituania quàm qui degunt in Ruſſia, cui etiam dum eſſet Leopoli, confeſſionem ſuæ fidei exhibuerunt: & Romanum pontificem primum patriarcharum ſunt profeſſi. Qui verò ſunt in Oriente Armeni, habent patriarcham ex Familia Dominicanorum. paulò ante accepimus literas de concilio celebrato in Syria, interuentu cuiuſdam Sacerdotis ex noſtra Societate, qui à ſummo pontifice fuerat eò miſſus. In eo concilio decreta Tridentinæ Synodi recepta ſunt. Non hîc commemorabo quanta ve-

Teſtimonia Patriarcharum noſtri temporis, & aliorum.

ta ve-

ta veneratione colantur decreta romani pontificis in orbe nouo, in quo iam ſunt Archiepiſcopatus. Longum etiam eſſet hic recenſere: quæ ex India Orientali ad nos perferuntur, & romam ferè quotannis: & ex nouis Inſulis quas Luſitani Chriſtianæ fidei adiunxerunt. Sed, vt finem epiſtolæ meæ imponam, inſeram hîc tantùm canonem Nicæni primi concilij Generalis, qui arabica lingua ſcriptus inuentus eſt Alexandriæ, cùm eo Legatum miſiſſet, pius quartus Sacerdotem quendam ex noſtris. addam etiam definitionem concilij Florentini Generalis recentioris in literis vnionis, quibus ſcilicet deſcribitur concordia Græcæ & Latinæ Eccleſiæ, ſub Eugenio IIII. roman: pontifice.

Ex Nicæni Concilij primi
CANONE INTER ARABICOS
XXXIX.

Sic præeſt patriarcha ijs omnibus, qui ſub poteſtate eius ſunt, ſicut ille qui tenet ſedem romæ, caput eſt & princeps omnium patriarcharum. Quandoquidem ipſe eſt primus ſicut

 Petrus,

Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes principes chriſtianos, & omnes populos eorum, vt qui ſit Vicarius CHRISTI *Domini noſtri, ſuper cunctos populos, & cunctam Eccleſiam chriſtianam. & quicunq; contradixerit, à Synodo excommunicatur. Hunc canonem antequàm afferetur ex Alexandria, citauerat Auguſtinus Stenchus lib. 2. de Donatione Conſtantini. Et Franciſcus Turrianus lib. 2. de dogmaticis characteribus. Et Alanus Copus in Dialogis. Et extabat Arabicè in Bibliotheca Cardinalis S. Crucis, qui poſtea fuit Marcellus ſecundus Romanus Pontifex.*

Florentina definitio à Græcis poſtea libris editis defenſa, vt à Genadio Patriarcha Conſtantinopolitano.

DEFINIMUS *ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Roman: Pont: in vniuerſum orbem tenere primatum: & ipſum Pont: Roman: ſucceſſorem eſſe B. Petri principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſq; Eccleſiæ caput, &*

omni-

omnium Chriſtianorum patrem ac doctorem exiſtere: & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro IESV Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe. Quemadmodum in geſtis Oecumenicorum Conciliorum & in ſacris Canonibus continetur. Hæc ibi.

Et quamuis ex Syon exiuit lex & verbum Domini de Hieruſalem, tamen vt exiuit lex, ita exiuit etiam primaria poteſtas Petro conceſſa, & Romam peruenit, ibiq; immobilis permanſit. Primum quidem Eccleſiæ Catholicæ initium poſt Aſcenſionem Domini ſtatuitur in die Pentecoſtes: quando deſcendit Spiritus ſanctus in diſcipulos Domini. Sed eodem die aderant viri religioſi ex omni natione qui receperunt Fidem atq; Baptiſmum numero tria millia, inter quos ſcriptura refert adfuiſſe aduenas Romanos. Centuriones etiam illi qui laudantur in Euangelio & Actis Apoſtolorum Romani fuiſſe creduntur. Vnius fidem admiratus Chriſtus Dominus, teſtatus eſt: ſe maiorem fidem non inueniſſe in Iſraël. Cùm autem Dominus

in Cruce ſpiritum emiſit, Centurio videns, quòd clamans expiraſſet, dixit: Verè Filius Dei erat iſte. Tertius Centurio Cornelius: Actor. 10. cum ſua familia, iubente Petro baptizatus eſt: & antequàm baptizarentur, deſcendit ſuper eos Spiritus ſanctus, quod nec ipſis Apoſtolis contigerat. Fatemur etiam Petrum cathedram ſuam Antiochiæ primùm collocaſſe: ſed idem poſtea Diuinitus monitus Romam veniens, per 25. annos Romanum egit Epiſcopum: vt docet Euſebius in Chronicis: Hieronymus in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Non quòd Romæ perpetuò affixus tam diu hæſerit, (ibat enim & redibat Hieroſolymam, vel in alias partes orbis) ſed non ideo deſinebat Epiſcopus eſſe Romanus. Nam & alij Romani Pontifices, dum per plures annos in Gallia manerent, erant nihilominus Romani Pontifices: & Leo nonus in Germaniam, Paulus tertius in Sabaudiam, & alij aliò migrantes, erant nihilominus Romani Pontifices. Ex quibus perſpicuum eſt, quàm infirmis, ne dicam ineptis argumentis, ex Chronologia Eccleſiaſtica petitis, velint aliqui probare,

bare,

bare, D. Petrum nunquam fuiſſe Romæ: eò quòd vel concilio Apoſtolico Hieroſolymis anno poſt Chriſti Aſcenſionem XV. interfuerit: vel interea alibi quoq; interdum ſit commoratus. quaſi nos ita D. Petrum, toto illo tempore Romanæ vrbi affigamus, vt ei nuſquam exeundi fuerit poteſtas. Verùm hactenus Epiſtolæ D. Niemoieuski, vtcunq; raptim reſponſum ſit pro ratione temporis. Non dubitamus quin Regia Maieſtas V. hanc noſtram operam tenuem pro ſua erga ſuos fideles benignitate, boni ſit conſultura. cui feliciſſimum victoriarum curſum ex animo gratulantes, tranquillamq́; & proſperam Regni gubernationem à Deo Opt. Max. expetentes, nos & omnia noſtra, vt Religionis catholicæ & Orthodoxæ, noſtreq́; Societatis minimæ Patrono digniſſimo, reuerenter commendamus.

Posnaniae,
In Officina Typographica
Joannis VVolrabi.
Cum Gratia & Priuilegio,
S. R. M.
M. D. LXXXV.